



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

In Genesis Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

VI. De Sacrificijs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36126

cijis moralibus, ut de gratiarum actione, de dilectione & c. utentes admonent.

Hi fines Sacramentorum diligenter considerentur, & semper in conspectu sit principalis, quod sint signa promissionis & uoluntatis Dei erga nos, seu sigilla iusticiæ fidei, sicut incensio uictimæ Abellis signum erat Abelum iuxta promissionem receptum esse.

VI. Locus.

DE SACRIFICIIS.

Sacrificium in genere est ceremonia uel opus, quod Deo redditur, ut honore afficiatur.

Omnium autem Sacrificiorum ceremonialium principales & ueri fines fuerunt.

PRIMVS. Conseruatio publicarum congregationum. Voluit enim Deus publicos congressus esse in quibus uox promissionis de Christo sonaret, & tota doctrina ueræ religionis ad posteros propagari posset. Ideo sacrificia & ritus instituit, ut talium congressuum nerui & uincula essent.

SECUNDO. Erant picturæ commonefacientes animos hominum de futuro Christi Sacrificio placante iram Dei, & merente remissionem peccatorum. Cum Abel uidebat cremari agnum, & quidem

dem igne diuinitus accenso, intelligebat alium agnū, scilicet uenturum Semen significari.

Nec dubium est Iohannem Baptistam interpretari uoluisse hanc Abelis oblationem, & maētationem Agni pascalis, & iuge sacrificium in lege, cum inquit, Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

Et 1. Pet. 1. Redempti estis precioso sanguine agni immaculati Christo, præcogniti ante mundi conditionem &c.

Et Apoc. 13. Christus uocatur Agnus ab origine mundi occisus, id est, omnes maētationes agni ab initio mundi factæ, significabant unica Christi morte & uictima omnium Sanctorum peccata ab origine mundi purgata esse.

Et ubicunq; in nouo Testamento sanguinis Christi mentio fit, semper de significatione sanguinis peccudum ante & post Mosen in sacrificijs effusi, admonemur. Rom. 3. Quem proposuit Deus propiciatorem, per fidem, interueniente ipsius Sanguine. Item Ephes. 1. Redempti Sanguine filij Dei. 1. Iohan. 1. Sanguis Iesu Christi filij Dei emundat nos ab omni peccato. Item in uerbis Cœnæ. Matth. 26. Hic calix est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effunditur, in remissionem peccatorum.

TERTIO. Pij & renatis Sacrificia erant Sacramenta, id est, testimonia promissionis, quæ fident excitabant & confirmabant. Ut Abel offerens agnum, qui cœlesti flamma consumebatur, commune
factus

factus hoc spectaculo, fide sibi promissa Messiae beneficia applicabat, & suam fidem alebat, & confirmabat. Sic de Sacrificijs Augustinus loquitur lib. 1. de Ciuitate Dei, cap. 5. Sacrificium uisibile inuisibilis Sacrificij Sacramentum, id est, sacrum signum est.

QUARTO: Erant opera confessionis, & gratiarum actionis, quibus sancti declarabant se improbare aliarum gentium religiones, & hisce signis se ab eis discernabant, & testabantur se hanc solam doctrinam patribus traditam amplecti, & hunc solum uerum esse Deum, quem sic colerent, & cui hanc obedientiam praestarent, ut ei pro acceptis beneficijs gratias agerent. Ideo etiam Eucharistica dicuntur.

QUINTO: Leuitica sacrificia eam quoque causam instituta sunt, ut inde alerentur Sacerdotes, & ne uictus idoneis ministris deesset, qui cum non haberent certam terrae possessionem sibi attributam, uictimis alendi erant, ut Deut. 18. Et 1. Corint. 9. dicitur.

SEXTO: Impijs Sacrificia tantum erant exercitia disciplinae, quibus frenabantur, ne in externa conuersatione ex politia Mosi excluderentur.

Ideo autem tam multa & uaria Sacrificiorum genera sunt mandato Dei in populo Israel instituta, ut solo Dei uerbo etiam in externis cultibus regerentur, & non imitarentur gentes uicinas. Deut. 12.

Deinde

Deinde ut uarietas beneficiorum Christi significaretur. Postremo ut significaretur hæc Sacrificia non expiare peccata, ut Ebr. 10. copiosius dicitur.

Vt autem Studiosi ad legendam in Moyse Leuiticorum sacrificiorum descriptionem instructiores sint, præcipua eorum genera breuiter recensebo. Omnia sacrificia Leuitica aut sunt sancta sanctorum, id est, sanctissima, quæ etiam propiciatoria à quibusdam nominantur, aut sunt sancta uulgaria seu uilia, quæ Eucharistica etiam dici possunt.

Sancta Sanctorum in Sex species distribuuntur.

Prima, Holocaustum quod totum in altari cremabatur. Leuit. 1.

Secunda, Pro peccato & pro delicto, Leuit. 4. & 5. Hoc sacrificium enarrat Esaias ca. 53. cum inquit, Messias ponet animam suam pro peccato, id est, hostiam expiantem peccatum. Et Paulus Rom. 8. Pro peccato damnauit peccatum.

Tertia, Sacrificium consecrationis Sacerdotum, Leuit. 8.

Quarta, Sacrificium uaccæ rufæ. Leuit. 19.

Quinta, Oblatio uituli & hirci in die propiciationis. Leuit. 16.

Sexta, Minha, Speisopffer, id est, oblatio farinæ, panis, aut granorum frumenti sale consperforum, cum certa mensura uini & olei omnibus pecudum sacrificijs addenda. Leuit. 2. & 6.

Sancta uulgaria seu *βυχαπισινὰ* fuerunt.

Primum,

Primum, Sacrificium pacificorum, quod Lutherus uertit Danckopffer. Leuit. 3. & 7.

Secundo, oblatio primitiarum, primogenitorum & decimorum. Exod. 13. 23. Deut. 18.

Tertio, Addunt aliqui & mactationem Agni paschalis, propterea quod de eo quibuslibet Israelites uesci licuit, tametsi propiciatorium Christi. Sacrificium ea mactatione significatum est, ut inquit Paulus 1. Cor. 5. Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus.

Hunc Catalogum obiter Studiosorum causa serui. Nunc ueris sacrificiorum finibus cognitis, de abusibus etiam breuissime dicendum est, quorum duo sunt precipui.

Primum. Maxima pars generis humani, cum Ethnici, qui morem Sacrificiorum diuinitus primitiis patribus monstratum retinuerunt, tum multi in ecclesia uerae Ecclesiae, finxerunt mactationes pecudum & alia sacrificia placare iram Dei, & mereri coram Deo remissionem peccatorum alijs, ut de Missa & sacrificio superioribus seculis docuerunt. Hic Ethnicus & Pharisaicus error seuerissime taxandus est. Vnde cum est enim in toto genere humano sacrificium placans iram Dei, uidelicet obedientia filij Dei, in Iesu nostri Iesu Christi, in passione tota & morte scriptum est, Unica oblatione consummauit Satisfactionem. Item Esai. 53. Quia posuit animam suam pro hostia delicti, uidebit Semen longaeuum &c. Rom. 7. Christus

stum posuit Deus propiciatorium, per fidem in sanguine eius. Propter hoc unum Christi sacrificium omnia sanctorum reliqua opera Deo placent, ut 1. Petri 2. dicitur, Offerite Deo hostias spirituales acceptas Deo per Christum.

Nec ulla ceremonia sacrificium est Deo placens solo gestu, seu ut uulgo loquuntur, ex opere operato, quod manifestissime & uox diuina, & omnium sanctorum apud Ethnicos sententiae demonstrant. Ier. 7. Non precepi patribus uestris de holocausto, sed hoc uerbum precepi eis &c.

Psal. 49. Immola Domino sacrificium laudis, & redde altissimo uota tua &c.

Psal. 50. Quoniam si uoluisses sacrificium, utique dedissem, sed holocausto non delectaberis &c.

Esai. 1. Quo mihi multitudo sacrificiorum uestrorum dicit Dominus, plenus sum holocaustis arietum &c.

Esai. 66. Qui immolat bouem, ac si occiderit hominem, & qui sacrificat pecus, quasi qui iugulat canem &c.

Prouerb. 15. Victimae impiorum abominabiles coram Deo.

Osee 6. Misericordiam uolo, & non sacrificium, & scientiam Dei plus quam holocausta.

Et Aristoteles inquit, Delectatur Deus non sumptibus sacrificiorum, sed pietate sacrificantium. Et Plato.

Plato. Oportet colere Deum non gesticulatione arte simulantes, sed uere colentes uirtutem.

Alter abusus subtilior est, ideoq; minus ab impietate agnosci potest. Cum enim nimis absurdum dicere sacrificia ceremonialia mereri remissionem peccatorum alijs, Ideo nunc disputant unum & solum Christi sacrificium iram Dei placare, idq; omnibus temporibus per ceremoniam Sacerdotis oblationem populo applicari. Et quidam contendunt adeo necessarium esse hanc Sacerdotis oblationem, ut Christi sacrificium populo nihil proffit, nisi hoc modo applicatum.

Sed contra hoc Sophisma pij hæc uera & fundamenta teneant. Primum Christus ipse suum sacrificium pro nobis applicat. Iohan. 17. Ego pro sanctifico me ipsum, ut sint & ipsi sanctificati. Quod autem non pro eis tantum, sed & pro omnibus credituris per uerbum ipsorum. Singuli igitur proprie fide, sibi fructum sacrificij Christi applicant, ut dicitur Rom. 3. Iustificamur gratis ipsius gratia, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proprie fuit Deus propiciatorem per fidem in ipsius sanguine. Quare non fit applicatio per alienum Sacerdotis opus, ut nec patrum, nec Leuitica sacrificia esse applicatoria: sed pij commonefacti signis, applicabant sibi promissionem propria fide.

Secundo. Perspicua & immota est sententia Pauli, Vnica oblatione Christus consummauit Sancti

Quod si non prodesset Christi sacrificium, nisi peculiari oblatione Sacerdotis applicaretur, non una oblatione consummati essent sancti.

Tertio. Nihil est addendum uel detrahendum testamento filij Dei. Nusquam autem iubet Christus sua beneficia alia oblatione externa applicare, sed uult singulos propria fide amplecti.

Quarto. De Sacrificijs noui Testamenti illud etiam uere additur. Cum re exhibita esset umbra, nullum est in nouo Testamento sacrificium ceremoniale, promerens uel applicans ex opere operato, sed ab omnibus pijs pariter offeruntur hostiæ spirituales, acceptæ Deo per Christum, cuius sacrificium inflammatione Agni ab Abelo mactati significatum, ut inquit Iohannes Baptista, Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

TEXTVS.

Adam uero cognouit Euam uxorem suam.)

Verba notitiæ apud Ebræos significant non solam notionem in mente uel sensu, sed etiam ueros & non simulatos motus seu affectus in corde, qui notitiam illam comitantur, & effectus qui illos motus cordis sequuntur.

N Vt Psal. 1.

Vt Psal. 1. Nouit Dominus uiam iustorum. Item Psal. 51. Iniquitatem meam ego agnosco. Et illustre exemplum est Iesaiæ 53. Seruus meus iustus iustificabit iniquitatem nostram, quia peccata nostra ipse sustulit. Noticia significat & agnitionem Christi in mente & in uoluntate ac corde fiduciam in ipso acquiescentem, quæ immutabiliter assensum & noticiam promissionis sequitur, Ita hoc in loco. Adam cognouit uxorem, non solum noticia personæ significatur, sed ardens amor in pectore, & officium iugale secutum, quod honesta appellatione epistolæ Paulus ornat, 1. Corinth. 7. nominans debitam beneuolentiam.

Possedi hominem per Deum.)

Certum est in Ebreo uerba hoc modo sonare. Acquisiui uirum, qui est lehoua. Nam particula *lehoua* quæ in duobus primis huius Quarti capituli uersibus, quinque usurpatur, serè semper nota est aduersarij casus. Quare admodum pia est errantium quorundam cogitatio, de ardentissimo desiderio primorum parentum, quo expectarunt prodesse Dominum & ardentissimis uotis optarunt accedere diem Christi. Nam Eua ardens fide promissionis, & expectatione liberatoris promissi, nato Christo completa ingenti gaudio, exclamat se nunc acquisisse Dominum illum, qui diuina potentia caput serpentis conculcaturus, & abolito peccato ac

iusticiam & uitam eternam in natura restauratus esset.

Etsi autem errat Eua de articulo temporis, quo promissus liberator ex uirgine oriturus erat, tamen nos cogitantes de hoc desiderio Eua, accusemus & indignamur & stupore nostrum, quod exhibitum & donatum nobis Messiam, non maiori reuerentia & ardentiori fide ac leticia colimus & ueneramur.

Iratus est Cain ualde, & conciderunt uultus eius.

Exemplum Liuoris & Emulationis in Cain proponitur, quæ est odisse alterum, & uelle eum premere aut tollere, nõ quia læsit nos, sed quia dolemus eum nobis gloria, iusticia, potentia, uel alijs bonis antecellere, ut Cain dolet sibi anteferri fratrem. Sic Saul incenditur emulatione aduersus Dauidem. Sic Aaron uritur gloria fratris. Fons autem emulationis est superbia, quæ uult antecellere alijs quoquo modo, & tollere eos qui uidentur nos obscurare. Studeamus autem repressis emulationum flammis corda nostra exemplo Christi ad ueram humilitatem flectere.

Concideruntq; uultus eius.)

Gestus Liuidorum hypocritarum, qui uirulentissimum odium erga pios toruitate uultus, fastidijs

N 2 mimacia

minacibus oculis, & omnium gestuum deformitas ostendunt.

Erit acceptio.) tuæ personæ, & tui sacrificij.

Peccatum tuum cubabit.)

Cum inquit cubare peccatum, describit terram mundi securitatem carnalem, qua uiuit sine timore Dei, sine metu iudicij diuini, nec agnoscit iram Dei aduersus peccata, nec dolet propter peccata, nec horribilibus pœnis presentibus & æternis opprimitur. Cum autem in multorum animis hæc perua securitas fœlicitate sceleratorum & ærum priorum confirmetur, assidue nobis testimonia iræ Dei & presentes ac æternas pœnas proponamus. Sic hoc loco ostendit Deus certo aliud iudicium reprobis, in quo omnium hominum peccata sint reuelanda & punienda, ut etiam in hac uita autores iniquorum cœdium per mirabiles occasiones patefiant, & ad supplicium rapiuntur.

Ad te erit appetitus eius.)

Id est, peccatum sollicitabit te.

De hac concione Dei supra loco 4. dictum est.

VII. Locus.

DE DISCRIMINE PECCATI Venialis & Mortalis.

Necesse est in Ecclesia retineri discrimen